



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1634**

De Cærimonijs Horarum Canonice in Choro recitandarum. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40244**

De Cerimonijs Horarum Canonica-  
rum in Choro recitandarum.

## CAP. II.

**P**roprios mores vnaquæque  
habet Ecclesia & laudabiles  
consuetudines, quas non tolli  
à Cerimoniali Romano, neque à Ru-  
bricis Breuiarij, sapiùs declarauit sa-  
cra Rituum Romana Congregatio:  
sed videant Episcopi, ne ita pugnent  
cum vniuersali Ecclesia, vt petito-  
rum iudicio minus sint laudabiles  
consuetudines.

2 In Breuiario quatuor tantum, quæ  
ad hanc rem faciunt, adnotata in  
Rubricis reperiuntur. Primum est,  
quòd Hebdomadarius clara voce dicat,  
*Domine labia mea*, &c. initio  
Matutini Officij, tit. 13. num. 1. Alteram,  
quòd in Precibus ferialibus dicat  
clara voce totum *Pater noster*, &c.  
& habetur tit. 32. num. 2. Tertium,  
quòd idem dicat eandem Preces flexis  
genibus vsque ad Verbum *Dominus  
vobiscum* exclusiue, circumstantibus  
genuflexis vsque ad *Benedicamus Do-  
mino*. Vide tit. 34. num. 4. quæ cer-  
tè sunt rationi consentanea & com-  
muni consuetudini vniuersalis Eccle-  
siae. Quartum est, quòd idem surgat  
ad Orationem, quæ dicitur post Anti-  
phonam B. Virginis in fine Officij,  
tit. 36. num. 3. Hæc in Breu.

3 Habentur alia in Cerimoniali  
Episcoporum ad hanc rem peroppor-  
tuna: & Primum, quòd coram Sa-  
cramento Eucharistiae sanctissimo sta-  
re debent omnes aperto capite ad Ho-  
ras omnes, lib. 2. cap. 33. vbi si sedeant,  
caput numquam cooperiant, puta  
ad Matutinum, quòd ordinariè pro-  
lixus est Officium.

4 Standum item erit ad initia Hora-  
rum, ad Inuitatorium, Hymnos, Ca-  
pitula, Responsoria breuia, Vespæ,  
Absolutiones, Benedictiones, textum  
Euangelij, ante Homiliam, Cantica  
Etrangelica, Orationes, Commemora-  
tiones, & Suffragia communia San-  
ctorum; item ad Antiphonas finales  
B. Virginis tempore Paschali, & in  
diebus Dominicis à primis Vesperis,  
quòd habetur expressè ex Concilio  
Aurelianensi apud Burchard. lib. 23.  
Decret. cap. 3. & Luo. lib. 2. cap. 183.  
& aliàs attulimus propriam causam,  
ob memoriam scilicet Dominicæ Res-  
urrectionis. Ad ea item in Verbis  
& Responsorijs, quæ in Euangelio  
lecta genuflexionem postulant: vt,  
*Verbum caro factum est*, & *Proci-  
dentes adorauerunt*, &c.

5 Sedendum est ad Lectiones, &  
vbi est consuetudo, ad Responsoria  
& ad Martyrolog.

6 Dubitatio est de Psalmorum can-  
tu: nam varia est consuetudo. Aliqui  
stant, & hi laudabiliùs; alij sedent: alij  
ad Psalmos Matutini & Laudum se-  
dent, ad reliquos stant; alij ad eandem  
Psalmos alternatim stant, & sedent.  
Vnusquisque abundat in sensu suo.

7 Ad Symbolum S. Athanasij, quòd  
dicitur ad Primam, alij stant, alij se-  
dent. Certè laudabiliùs, sine Symbolum,  
sine quasi Psalmus ille sit, recitant  
stantes, ex Decreto S. Rituum Con-  
gregationis die 23. Decemb. 1624.

8 Genuflectitur etiam in Choro ad  
ea, de quibus diximus *superiore capite  
num. 4. & 7.* & præterea ad *Tu autem  
Domine*, &c. in fine Lectionum  
à Lectoribus, ex Cerimon. Episcopo-  
rum lib. 2. cap. 6.

9 Inclinatur caput, vt supra dictum  
est num. 5. cap. præced. quibus addun-

ut casus alij, vt idem fiat à Lectore dum dicit, *Iube Domne, &c.* versus Hebdomadarii, ab omnibus ad nomen Papæ viuentis, ad Versus sequentes Psalmorum, *Sit nomen Domini benedictum, Sanctum & terribile nomen eius, Benedictus Dominus die quotidie, Benedictum nomen maiestatis, Benedicat nos Deus noster, benedicat nos Deus, quod multis placet.* In Completorio ad *v. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, Benedicamus Patrem, &c. Benedictus es Domine in firmamento caeli.* Locorum consuetudini standum erit.

10. Signum Crucis sibi adhibent multi, præter ea quæ capite superiore adnotauimus *num. 6.* ad initium Canticorum Euangelicorum, quia Euangelia sunt: & quidem ad *Magnificat* idem præscribitur Episcopo in Cerimoniali Episcop. *loco citato cap. 7.* Quare eadem erit ratio & aliorum similibus Canticorum, nisi forte illud præscribitur ratione processionis à sede ad Altare, vt, antequam moueatur à sede, muniat se Crucis signo; sed primum est verius.

11. Cantores vt plurimum iuxta Cerimoniale Episcoporum cantant Inuitatorium, initia Psalmorum, Versus, & Responsoria; Hebdomadarius autem primam Antiphonam, Capitula, Antiphonam ad Cantica Euangelica, initia quorundam Hymnorum, & Orationes dicit. Lectiones legunt, qui in Choro sunt, iuniores primas, seniores vltimas, singuli singulas, ex *Carim. Episc. lib. 2. cap. 6.* verum, vt diximus supra, consuetudines locorum variæ: & laudabiles non sunt in hoc genere à Cerimoniali Romano abrogatæ.

12. Ratio videretorum satis patet,

partim ex ijs quæ supra scripsimus *Secl. quinta*, vbi de singulis Horarum partibus; partim ex ipsamet consuetudine, quæ est altera lex de re rationabili & valdè congrua, à saniori parte vniuersalis Ecclesiæ recepta, & diu retenta.

*De Cerimonijs Horarum Canoniarum in Choro solemnitus recitandarum.*

C A P. I I I.

**Q**uatuor ex Horis Canonicis solemnitatem habet in Choro, nempe Matutinum cum Laudibus, vt in nocte Natiuitatis Domini; Primam in Vigilia Natiuitatis eiusdem, ratione Martyrologij; Vesperam frequentiore; & Completorium quandoque in Quadragesima. De his hoc loco singillatim est dicendum, in gratiam eorum præsertim, quibus non est præ manibus Cerimoniale Episcoporum, seu Canoniarum.

1. Matutinum igitur numquam cum Pluiali cantatur, ex Cerimoniali Episcop. *lib. 2. cap. 6.* quod ad Laudes & Vesperas adhiberi, docent Rubricæ *Missal. iii. 19. num. 3.* sed, dum cantantur Lectiones tertij Nocturni, parat se Celebrans Pluiali ad legendam nonam Lectionem, pro qua accenduntur duo cerei ab Acolythis, parantur duo Cantores cum Pluialibus; neque recedunt Acolythis, donec tota Lectio fuerit absoluta. Ob reuerentiam maioris stantis, dum legit, stant omnes alij qui sunt in Choro, *Carim. ibid. cap. 5.*

3. Ad textum Euangelicum non adhibetur signum Crucis; neque legitur manibus iunctis, sed hinc inde supra legile positus, seu supra librum, *Cerimon. cap. 5.*